

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**De Potestate Imperatoris Ordinandi Regimen Bonorvm
Eccl. Imp. Immedd.**

Geisler, Carl Heinrich

Goettingae, 1783

§. I. Exusatio scriptionis

urn:nbn:de:bsz:31-95043

§. I.

Excusatio scriptorii.

Recete quidem ac vere incertus quidam auctor, sed acris et subtilis iudicij *), bona ecclesiastica perinde ac profana legibus et potestati principum subesse scribit, vixque videtur opinabile, fieri posse, vt quis ea vñquam imperio ciuili subduxerit, aut subducturus sit. At mature tamen diuersis viis ad hanc siue audaciam siue proteruitatem ventum est, satisque constat, quantas in hac nostra inprimis Germania (nihil enim nunc dicendum de aliis) iras olim et pugnas excitauerit. Neque nostra adeo tempestate adrogantia ista mentibus hominum euelli plane potuit, sed, vt fert occasio, exoriuntur subinde, qui, si non omnem in hac luce nostra opinionem illam defendere audeant, ita tamen gerere se soleant, vt magna iuris sui parte non sine maximo reipublicae detimento per illam rationem principes electuri esse videantur. Nuper inprimis, cum in decantata quadam Episcopi Capitulique controversia Confli-

lum

*) de l'autorité du clergé et du pouvoir du magistrat politique (Amstelod. 1766. 8°) P. I. p. 173. les biens possédés par les ecclésiastiques sont subordonnés à la loi civile, comme les autres: elle seule les dirige, elle seule peut les diriger.

A

lium imperiale aulicum plerisque de caussis contra Capitulum decreuerat, erant confessim, qui de libertate bonorum ecclesiasticorum clamarent, Augustumque summa cum omnium Capitulorum iniuria plus sibi sumere vociferarentur, quam ex legibus liceret. Quas voces cum latius spargi norim, ab his noui muneris initiis, quibus Deus faueat, non alienum arbitror, de potestate Imperatoris constituendi regimen bonorum ecclesiasticorum immediatorum nonnulla differere, si non omni forte vi sint destituta, quae in contrarium illi statuant. Quod quemadmodum verecunde fiet ac sine cuiusquam adpellatione, ita nec mihi inuidiae, neque offensioni aliis, quorum bene multos quam maximi facio, futurum esse confido, ratus nempe, hanc talem disputationem, si vel maxime nihil admodum noui aut exquisiti contineat, quod omnino ab hac tenuitate mea expectari non potest, hoc in primis tamen tempore non prorsus inanem videri posse.

§. II.

Constitutio cauffae.

Id igitur acturo quaerendum est, an, quatenus et quomodo Imperatori liceat definire modum regendorum et administrandorum bonorum ecclesiasticorum, quae, si ad imperium referuntur, immediata dici solent. Neque enim huc pertinent ea omnino omnia, quae in eiusmodi bonis primariis precibus, alimentis aliquique huius generis rebus decernendis potest, sed suscipitur sermo de bonis ecclesiarum ipsis, atque eo quidem sensu, quo legibus